

Petrus de Vinea

*Ep. II 23 (Sine litterarum
nostrarum indiciis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 23 (Sine litterarum
nostrarum indiciis...)*

1249

Capitano suo in Tuscia, quod studiose procedat super eisdem.

1. Sine litterarumstrarum indiciis uel expressionibus nuntiorum tuae deuotionis industriam scire confidimus, quantum ex castro et uilla..., dum in fide nostra persisterent, nostris posset negotiis afferri compendium, quantumque per ea, si in partem contrariam cederent, graue dispendium timeretur, uelut in cuius gremio a nobis in Liguriam, et ad uos abinde precipuo seu singulari, quin potius necessario transitu remanente, tamquam deficientibus aliis uiarum passagiis, inde sit unica clauis ad ianuam, quae nobis nostrisque reserare potest et claudere transitum et regressum.

2. Cum igitur uilla ipsa, sicut nuper accepimus, a fidei nostrae semitis deuierit, castrumque predictum in nostra deuotione fideliter perseueret, fidelitatem tuam requirimus, mandantes expresse, quatenus eiusdem negotii circumstantias diligenter aduertens, statim de consilio fidelium nostrorum Tusciae, quorum magis uideris expedire, uias et modos operosus excogites, qualiter ad recuperationem uillae ipsius ac efficacem defensionem et obseruationem castrî prefati, aggregatis auxiliis, celeriter succurratur; inducturus ad hoc efficaciter Communia regionis ipsius, et Commune... ciuitatis precipue, ut, sicut umquam desiderant in personis et rebus ac supplicationibus suis coram nobis fauorem et gratiam inuenire, statim circa recuperationem eiusdem uillae, tuitionem castrî et pacificationem stratae ac prouinciae potenter et uiriliter intendentes, fidem, quam ad nos et Imperium habere tenentur ex debito et eos semper hucusque promptam nouimus habuisse, per efficaciam operis fateantur.